

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio de Casparo Crvcigero

**Melanchthon, Philipp
Creutziger, Caspar**

Witebergae, 1549


VD16 M 3747

urn:nbn:de:bsz:31-61737


IES IN
M DE
ARA
THER


B A
99

63 A 799 R



1.) Bicarado, A., Quaestiones novae, in libellum de Sphaera Johannis de Sacro Busto... M. Titel-Holzschn.-Bordüre. Ffm. P. Brubach. 4 nn., 84 n. Bll.- 2.) Riccius, St., Quaesti unculae in eclogas Virgillii. argumenta Ph. Melanchthon. Ebd. 1546. 40 n., 20 nn. Bll.- 3.) Melanchthon Ph., Historia de vita et actis Mat. Lutheri... O. O. 1548. 37 nn. Bll.- 4.) Ders., Oratio in funere... Mart. Lutheri Wittenbg. o. Dr. 1546. 8 nn. Bll.- 5.) Luther, M., Aliquot epistolae. O. O. u. Dr. 1549. 28 nn. Bll.- 6.) Cicero, Oratio pro L. Murena annot. Ph. Melanchthonis. Köln, M. Gymnicus, 1545. 39 nn. Bll.- 7.) Sabinus, G., Oratio in funere Dominae Dorotheae... Brandburgensis. Wittenb. V. Creuzer, 1548. 14 nn. Bll.- 8.) Melanchthon, Oratio recitata cum decerneretur gradus magistri... Wittenb. o. Dr. 1548.- 12 nn. Bll.- 9.) Cruciger, C., Oratio ab Erasm. Rheinholt Wittenb. V. Creuzer, 1549. 16 Bll.- 10.) Melanchthon, Collatio locorum de consolatione ex philosophia & doctrina christiana a. Wittenb., o. Dr., 1549. 8 nn. Bll.- 11.) Rhau, G., Epitaphia in obitum Jo. Rhau. M. Titelbordüre. O. O. u. Dr. 1548. 8 nn. Bll.



~~Sole for Drama 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.~~
 **ORATIO**
DE CASPARO CRUCI-
GERO, AB ERASMO

Rheinholt Salueldensi re/
citata, die uicesimo
Augusti.

Anno, 1 5 4 9.

VVITEBERGÆ.
In officina Typographica
Viti Creutzer.



(1549)

AK

an 63 A 499



26

ORATIO DE CASPA
ro Crucigero, ab Erasmo
Rheinholt Saluel,
densi recitata.



RINCIPIO GRA

TIAS AGO DEO AETER-
no Patri Domini nostri Iesu Chri-
sti, fonti sapientiae & conditori
rerum, quod Ecclesiam inter nos
sibi colligit in omni aeternitate
ipsum celebraturam, et toto cum
pectore oro, ne sinat inter nos extingui lucem doctri-
nae, Sed immensa misericordia sua propter filium hos
coetus gubernet & seruet, & hos nostros alueolos
elementer protegat. Consuetudo autem est digna
laude in his congressibus ad commonefaciendam iuuen-
tutem, uel preconia doctrinae, uel exempla eruditorum
recitare? Nam in his nostris studijs praecipue, non
solum accenduntur animi considerantes aliorum indu-
striam & uirtutem, sed commonefunt etiam de multis
rebus, & quasi uestigia superiorum aspicientes uiam
ad doctrinae arcem disunt.

Ac mihi quidem hoc ipsum anni tempus renouat
A ij memoriam

memoriam amici nostri Cassari Crucigeri, cuius moribus hoc mense anno superiore ingrauescere ceperat. Itaq; cum mihi adsidue iam obuersetur eius imago, & desiderio eius non solum propter amicitiam & studiorum coniunctionem, sed etiam propter Ecclesie orbitatem ingenti adficiar, etiam in hunc locum commemorationem studiorum & uirtutum eius adferendam esse duxi. Notum est enim illud omnibus, οὐδ' τις ὄλγῃ, κῆρε καὶ τῆρ χεῖρ' ἔχει. Nec tantum ut uel dolori meo indulgeam, uel debitum amicitie nostrae munus praestem, hoc argumentum delecti, sed multo magis adulescentum causa, quibus exemplum recens et illustre propono, cuius consideratio de his ipsis studijs, in quibus uersantur, multa eos mouere poterit. Nec institutam graeco more Panegyricam laudationem, sed breuiter uitae ipsius historiam, studia, & de maximis rebus iudicia narrabo, quorum memoria posteritati utilis est. Atq; utinam multorum eruditorum ex illa sinceriore antiquitate testimonia, uere & perspicue scripta extarent. Nam hoc ipso consilio Deus aliquos in Ecclesia excellentibus donis ornat, ut testes sint uerae sententiae, & alios erudiant ac sua suffragatione confirmet. Erit igitur & hanc ipsam ob causam narratio simplicior, quia uolo eam testimonij pondus habere, cum quidem ipsius pectus mihi penitus notum fuerit. Et quoniam haec aetas plena est suspitionum, & calumniarum, & uere, ut Homerus inquit,

οὐχ

δυο ὁμοίαν κενὸν ἔρασαν ἀλλήλοισι, ne quid finxisse
uidear, testes mee orationis esse uolo, Reuerendum
uirum Pastorem Ecclesie nostre, & Georgium Ro-
rarium utros integerrimos, quibus fuit familiarissimus.
Instituam igitur ueram, et nudam commemorationem,
ac prorsus, ut Geometer, lineas tantum ad ficij ducam,
de quibus extrui magnum opus posse facile intelligi po-
terit.

Ordinar autem, sicut usitatum est, a patria.
Natus est Caspar Cruciger in inchyto oppido Lipsia.
Hic est de patrie laudibus rhetorico more dicturus
esset, quantum uolumen addi posset. Sed ipse patriam
præcipuam Ecclesiam esse sensit, nec tam natalis loci
celebritate letatus est, quam quod Ecclesie ciuis factus
est. Nec tamen ingratus fuit patrie, Agnoscebat sin-
gularem felicitatem esse nasci in tali urbe, in qua cum
optimarum artium studia floreant, & magna sit eru-
ditorum frequentia, inueniri doctores adolescentie
commodius, quam alibi possunt.

Est autem uim ingenij, que fuit in eo excellens
& mirifica, non solum ad causas phycas refero, sed
singulare Dei donum fuisse statuo, tamen & a paren-
tum natura, & a causis coelestibus aliqua natura præ-
stanti a sumpta uidetur. Fuit enim in matre uirtus exi-
mia. Et de positu siderum memini Gauricum ita iudi-
care, ingenij excellentiam mirandam significari, sed si-

mul etiam uarios morbos denunciari. Ac si quis requi-
rit positum siderum, ut extare multa exempla opta-
rim, is tempore indicato thema constituat. Natus est
enim Caspar Anno 1504 die prima Ianuarij circiter
horam primam, post mediam noctem, ita ut duo tan-
tum sint domicilia omnium Planetarum, Sol, Venus,
& Mercurius in Capricorno tertium locum ab Horo-
scopo occupant, Ceteri omnes in Cancro, Saturnus,
Iupiter, Mars & Luna uoluuntur in nono loco, extatq;
tantum supra finitorem (scilicet) spica Virginis, quan-
tum infra adhuc absunt a linea horizontis due lucen-
tes in utraq; chete, quæ quidem nobis simul oriuntur.
Congruu etiam totius asterismus Leonis cum decimo
loco ab horoscopo. Est omnino congressus stellarum
non uulgaris, de quo ab eruditis multa disputari pos-
sent. Sed cum ingenij & studiorum significatio sit
illustris, cetera omitto. Et habuit ipse gubernatorens
alium multo meliorem & potentiorum, scilicet, Spiri-
tum sanctum, quo cum eterno Patre & domino no-
stro Iesu Christo copulabatur uero incendio amoris de-
uini, & uirtutum semina in eo fouebantur.

Accedo igitur ad puericiae studia. Esi nihil in co-
torum, aut asperum, aut immitte fuit, tamen tempe-
rarentum fuit melancholicum, & ut ita dicam, pene
Socraticum. Itaq; & pauciloquus erat, & cogitabat
suis, & sepe in medijs sodalicis quasi peregrinante
animo.

animo. Visus est igitur initio parentibus hebetior, & segnior. Sed cum celeriter percepisset Grammaticen apud uirum integerrimum Georgium Heltum, postea commendatus est Casparo Bornero, qui cum animaduertet nequaquam esse tardam aut ignauam naturam, ut uidebatur, sed & auidam doctrinae, & celeriter arripientem omnia, quae proponebantur, & uel inter ludos, cum aliud agere existimabatur, cogitatione intentam in ea, quae discerat, ac sanitatem iudicij, ac facilitatem & perspicuitatem in explicandis cogitationibus eximiam esse, bene sperare Parentes de ingenio filij iussit, & fuit hortator, ut apud Petrum Mosellanum in utraq; lingua exerceatur. Antea graece docentem paulisper audiuit Crotum Britannum, ubi commilitonem habuit Ioachimum Camerarium, quem illa prima aetatis studia commemorantem audiuius de Crucigero dicere, tunc quoque in speciem uisum esse ceteris segniorem, & tamen plus didicisse, quam alios commilitones. Postea cum apud Petrum Mosellanum formare latinam orationem didicisset, & in Graeca lingua multum proficeret, & in moribus nihil esset arrogantiae, nihil insolentiae, nihil fuci, nihil peruersitatis, sed natura recta, candida, modesta, disciplinae patiens, amans ueritatem, pietatem erga Deum & castitatem. Petrus eum, ut erat sagax ingeniorum censor, ita ut filium complexus est. Et laudauit indolem, iuuuam, & mores adolescentis uniuersa Academia.

Cum autem utilissimis exercitijs utriusq; lingue apud Petrum amplius quadriennio excolutus esset, & propter luem Lipsie grassantem paulisper secedendum esset, una cum Bornero uenit in hanc uicinam Academiam, precipue ut doctrina de Deo recte cognita, ueris officijs Deum coleret, et Ecclesie postea usui esse posset. Nam ad hos fines studia & uitam referebat, Deo, ut postea euentus ostendit, quasi per gradus eum ducente in hanc stationem, in qua postea bonam operam Ecclesie nauauit. Hic ad priora exercitia lingue latinae & Graecae, adiunxit studium linguae Ebraeae, ac omnes ita didicit, ut adeo familiariter ei nota essent, ac si nativae ipsi, non insititiae fuissent. Audiebat studiose & doctrinam Ecclesiae, ac uniuersae antiquitatis certamina, & iudicia conferebat, ac ueros omnium dogmatum fontes querebat.

Hoc studium & moribus castis ac pijs ornat, eratq; eius familiaritas Bornero, Ioachimo Camerario, Petro Suauenio, Hieronymo Baumgartnero, Chiliano Golstein, Michaelo Rottingo, & alijs eruditissimis uiris incundissima.

Aliquanto post uxore ducta Medicae artis doctrinam cognoscere cepit, quam & postea sic amauit, ut nunquam eius studium omiserit. Nec solum nouerat herbas & frutices, sed ipse duos hortos sua manu magna uarietate stirpium ornauit. Remedia etiam
precipua

praecipua morborum ei notissima erant, & ipse multa
singulari industria adparabat.

Hactenus ea propemodum recensui, quae tyro-
cinis propria fuerunt. Postea ei mandatum est munus
& interpretandi Prophetica & Apostolica monu-
menta, & in templo concionandi. In hoc gradu cum
iam Doctor esset, quae fuerit eius militia, considerate.
Hic de Ecclesia & tota posteritate bene meritus est.

Primum quia in transferendis in sermonem Ger-
manicum libris Prophetieis magna fide, diligentia, &
assiduitate, Reuerendum uirum D. Lutherum adiunxit.
Etsi enim Lutherus Ebraeam linguam probe callebat,
tamen quia collationem iudiciorum sciebat non adper-
nandam esse, adhibuit uiros in ea lingua praecclare eru-
ditos Aurogallum, Crucigerum & Forsterum. Hos
& iudices in obscuris locis, & suae fidei, ac diligentiae
testes habere uoluit.

Praeterea cum esset in scribendo mira celeritas
Crucigeri, magnam partem enarrationum & concio-
num Lutheri excepit in scholis & in templis, quas
& breuibus notis uelocissime scribere, & postea rur-
sus integris syllabis ac distinctionibus redditae edere ma-
gnae industriae, & magni laboris opus fuit, quae in re
fidem ipsius probauit ipse Lutherus. Et teste Georgio
Rorario uiro integerrimo, a quo in hoc labore sem-

per adiutus est, etiam post Lutheri mortem fidem praestitit.

Eddidit & proprias lucubrations, in quibus aliquot Psalmos & Euangelium a Iohanne scriptum enarrat, in quibus uidet, eruditus & sapiens Lector non ambitiose cum ludere fingendis peregrinis interpretationibus, non offundere caliginem lectoribus ambiguo & improprio sermone, sed proprijs uerbis & perspicue unicum nativam sententiam euolutam illustrare. Ut mores ita oratio fuit placida, recta, & casta, sed tamen copiosa, & quadam parsimonia ornatus & luminum, quae magno delectu miscbat, Atticam illam formam reserens.

Magna laus & haec est pietatis eruditionis, prudentiae, grauitatis, imò & Spiritus sancti in eo significatio, quod cum in his disidijs publicis, quae ut fit, laxant disciplinae frenos, multi passim nouas opiniones ambitione aut curiositate gignerent, ipse semper ab omnibus furoribus fanaticorum hominum abharruit, & custos fuit incorruptae doctrine, quae in Lutheri confessionibus expressa est.

Et quia prodest extare ad posteros testimonium ipsius, recitandam esse censui & confessionem, ipsius saepe repetitam cum aegrotaret, audientibus multis doctoribus, & collegis nostris. Adfirmavit enim se ipsius
me se

me se toto pectore amplecti consensum doctrinae in om-
nibus articulis, quem una uoce cum Luthero & Pa-
store huius Ecclesiae sonare solitus sit, seq; hunc con-
sensum ad Deum & filium Dei, & ad Prophetarum
& Apostolorum consuetudinem constanter allaturum
esse, Nec dubitare se hanc perpetuam esse sententiam
Catholicae Ecclesiae Dei, quam professus esset. Inchoa-
ta est ab eo enarratio symboli Niceni, in qua initio ad-
firmat se symbolum illud amplecti, deinde illustrat do-
ctrinam de tribus Personis, diligenter uniuersa anti-
quitate Ecclesiae considerata, Quare & alibi doctos
& bonos uiros eam lucubrationem probasse scio.
Deniq; mihi familiarissimi sermones ipsius noti sunt, in
quibus omnia Ecclesiae tempora repetebat, & errores
taxabat, quorum alij alijs temporibus in Ecclesia gras-
sati sunt, multi etiam subinde repullularunt. Serio
etiam oderat Cothurnos & ambigua dicta, quibus
sepe turbatae sunt Ecclesiae. Quoties uidi gementem,
si quando nouas insidias strui ueritati audiebat? Nec
tantum uox in docendo congruebat cum Ecclesia Dei,
sed etiam pectus, inuocatio, mores celebrabant Deum.

Ac talis cum esset, uestigia Dei in natura etiam
libenter considerabat, ac sepe dictum Platonis repe-
bat, gratam de Deo famam in artibus sparsam esse, Et
illud Paulinum, Tam prope adesse Deum, serè ut ma-
nibus contrectari possit, Cernere se inquit presentiam
Dei

Dei in natura, qui prorsus ut artifex certo consilio singulis membris sua auxilia attribuit, & aduersus singula morborum genera peculiaria praesidia et remedia condidit. Conuincit etiam homines dicebat, ne casu existiment hunc mundum ex Chao temere confluisse, quia ordo in numeris, in discrimine honestorum & turpium, in motibus coelestibus, in uicibus temporum testaretur mentem aeternam architectatricem esse.

Adiungebat igitur ad ceteras artes Mathematicum studia, quorum initia degustarat apud Borneram. Sed hoc decennio tantum eis operae tribuit, ut inter artifices numerari potuerit, quod eo adfirmare possum, quia cum propter societatem horum studiorum magna inter nos familiaritas fuerit, & ingenium ipsius introspexi, & progressus eius uidi. Erat in eo & auditas discendi, & celeritas in percipiendo, & iudicij rectitudo, & laboris tolerantia & constantia animi, qua immorari inchoatis laboribus in numeris, & Geometrica subtilitate poterat. Erat assiduus in Euclidis demonstrationibus inuestigandis & eruendis. Saepe cum magna pars diei tribuenda esset alijs lectionibus, aut reipub, tamen in prandijs & coenis Eucliden collocabat in mensam, & in cum oculis & mente intuens pingebat inter edendum numeros aut figuras demonstrationi necessarias. Amici intentionem admirantes per totum dicebant hanc intentionem Archimedeam esse.

Legimus

Legimus enim Archimeden inter ungendum quasi oblitum cetera stetit, & ipso oleo pinxisse figuras. Iamq; in $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\eta\ \sigma\omega\upsilon\tau\acute{\alpha}\xi\eta$ Ptolemæi uersabatur, ubi cum animaduerteret Alphonsinas tabulas conditas ex certis obseruationibus ante annos fere trecentos discrepare a Ptolemæicis, nec illas tamen cum nostri temporis obseruationibus congruere, ualde optare cepit emendationem tabularum, quæ ut institui posset, Reges & Principes ab his, qui autoritate ualent hortandi erant, ut artificibus ad eam rem delectus sumptus preberent. Cumq; obseruationum testimonia necessaria esse intellexeret, me orauit, ut fabricari machinas curarem, & me sumptibus adiunxit. Itaq; Regulas seu instrumentum Parallacticum Ptolemæi construxi, cuius duo sunt æqualia latera pedum denorum & ternorum, Item Quadrantem circuli, cuius semidiameter non minor est tribus cubitis, Ita ut utriq; instrumento perpendicularum seu $\kappa\epsilon\omega\upsilon\sigma\tau\omicron\upsilon\eta$ cistule inclusum contra status uentorum artificiose adfixum sit gubernans iustam collocationem. Cepimus igitur unâ primum multis obseruationibus explorare ueram latitudinem huius oppidi, quam deprehendimus esse graduum unius & quinquaginta, & scrupulorum quatuor & quinquaginta. Deinde & motum Solis ex temporibus æquinotiorum, ubi deprehendimus uernum æquinotium se decem pene integris horis fieri tardius, quam ostendunt usitate computationes, sed autumnii æquinotium parum a calculo discrepare.

Hic

His & similibus obseruationibus moti Copernici
cum magis admirari & amare cepimus, Eumq; secuti
nostras obseruationes cum omnibus precedentibus in
hoc genere contulimus, in qua consideratione animad-
uertimus anni ueram seu adparentem magnitudinem
eius, quem Copernicus Temporalem, Graeci $\tau\epsilon\pi\omicron\tau\iota\kappa\omicron\varsigma$
latini uertentem dicunt, nunc iterum maiorem esse,
quam uel Albategnij uel Alphonsi temporibus, ac pene
rursus aequalem factam ei, quam Ptolemicus prodidit,
uidelicet praeter dies integros 365, horarum 5, &
scrupulorum primorum 53 unius horae, Cum reditus
Solis ad medium aequinoctium non superet horas 5
scrupula 49 cum triente unius scrupuli, At reditus
Solis ad eandem stellam fixam excedit quadrantem dici
pene sextante unius horae aequinoctialis, Quem annum
licet Aseotegida nominare, Eius tempore cum
non impediretur prelectionibus, ut molestiam leniret,
plus temporis tribuit obseruationibus, in quibus non
solum nostris machinis maioribus, sed etiam alijs mi-
noribus utebatur, quas tunc fabricari curauerat. Loca
igitur stellarum fixarum multarum obseruauit, quae
ipsius manu annotata habemus, Opticam etiam probe
intellexit, ut opera eius generis ipsius manu descripta
ostendunt. Nam & Rhetici lucubrationem et Alhaseis
sua manu descripsit, ubi multa $\mu\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon$ quae
decreant addidit.

... Sed

Sed quia longiorem commemorationem hoc tem-
pus nobis non concedit, pauca de postremo eius acti-
dicam. Meministis eum decumbere plus tribus men-
sibus sine spe recuperanda ualitudinis. Erant enim ex-
tinctæ uires uentriculi, & nutrimentum in humorem
enclancholicum uertebatur, quem copiose reijciebat.
Ita paulatim contabuit, cum quidam cerebri uires usq;
ad extremum halitum integerrimæ essent. His tribus
mensibus quale theatrum fuerunt eius uirtutes? Nulli
fremitus erant, nulla indignatio, sed quia mens obedi-
re Deo decreuerat, & læta consuetudinem cœlestis
Ecclesiæ expectabat, mores erant placidi, quales esse
solebant, sermones etiam pleni pietatis & suauitatis.

Nec studia prorsus omisit. Dies ita ei distributa
erant, quantum in illa morbi seuericia fieri potuit. Mane
filios duas ad se uocabat, ac iubebat recitare precati-
ones, ipse suam inuocationem, suos gemitus & lachry-
mas pro Ecclesiâ, pro seipso, pro natis miscbat, Sæpe
hæc uerba repetens. Inuoco te omnipotens Deus, æ-
ternæ & unice Pater Domini nostri Iesu Christi, con-
ditor cœli & terre, & hominum & Ecclesiæ tuæ,
una cum filio tuo cœterno domino nostro Iesu Chris-
to, & Spiritu sancto, Sapiens, bone, iuste, uerax,
misericors, caste, liberrime, custos Ecclesiæ, misere-
rei mei, & remitte mihi omnia mea peccata propter Ie-
sum Christum filium tuum, crucifixum pro nobis &
resuscita-

resuscitatum, λόγον καὶ ἐκὼς σου δίδωμι, quem
uoluit pro nobis esse uictimam, καὶ μετὰ καὶ
ἐκείτω mirando & inenarrabili consilio, Sanctifica
me Spiritu sancto tuo, serua in his regionibus Ecclesie
reliquias, non sinas extingui lucem Euangelij tui. Fac
etiam meos orphanos uasa misericordie. Inuoco te
quanquam languida & imbecilli fide, sed fide tamen.
Credo fili Dei domine Iesu Christe promissioni tue,
quam sanguine tuo & resurrectione obsignasti. Ad
iuua me, erige mecum pectus fide. Has ipsas uoces sepe
eum repetere multi audiimus. Deinde filias alloque
batur, & inculcabat aliquam doctrine partem. His
dimissis ipse redibat ad operas institutas. Nam morbi
tempore absoluit uersionem libri Lutheri de ultimis
uerbis David. Reliquum tempus tribuebat alias le
ctioni Psalmorum, alias Ptolemæo, Theoni, Euclidi,
Epitomæ Regionontani. Et cum diu foris contempla
tus esset coelum, tandem rursus uelut ingressus coelum,
filium Dei dominum nostrum Iesum Christum compell
ebat, & usitatam inuocationem & confessionem re
petebat. Sermones cum amicis erant, quales antea su
erant de omnibus doctrine partibus, de miranda Ec
clesie gubernatione, de immortalitate, de spe nostre
consuetudinis in Ecclesia cœlesti. Die sexto Nouembris
Chasma in cœlo ualde conspicuum fulsit ab ortu æstiuo
uersus brumalem occasum sparsum, quod late conspe
ctum est, & flammæ alicubi in terram delapsæ rursus
in aëre

in aërem euolarunt. Id ipse etiam noctu uiderat, ita
cubans ut eam cœli partem intueri posset. Eo motus
prodigio, cum quidem tunc uires eius ualde languefa-
ctæ essent, admodum moesta oratione, cum postridie
ad eum uenissemus, deplorauit Ecclesiæ dissipationes, et
uenturos motus prædixit, ac decem dies reliquos, qui-
bus superstes fuit, consumpsit, ut solebat, in inuocatione
& confessione.

Ita inter uota tranquillo animo die Nouembris
sedecimo, Anno 1548 decessit ex hac mortali uita
Caspar Crucigerus uir excellens ingenio, eruditione,
agnitione uera Dei, sapientia & omnium uirtutum
laude. Qui cum fruatur cœlestis Ecclesiæ consuetudi-
ne, ipsi quidem gratulemur tam placidam migratio-
nem, sed nostra causa doleamus. Nos enim magno or-
namento orbati sumus. Verum testimonia suæ senten-
tiæ, & studiorum, uitæq; exemplum nobis reliquit.
Hæc ad usum nostrum transferamus, confirmemus nos
eius scriptis, & imitemur studia, mores, pietatem.
Ideo Deus immensa misericordia Ecclesiæ dat aliquos
excellentes Doctores, ut eorum uoce & literis alij
crudiantur & confirmentur, & exemplis ad pietate-
m accendantur. Simul igitur & Deo gratias agam-
us, quod talem nobis dedit Collegam & Do-
ctorem, & ipsius Crucigeri laborib. fru-
amur, & uitæ studiorumq; exem-
pla sequamur.

DIXI.

B

RESPONSIO AD Questionem.

Vtrum, cum fatendum sit in Ecclesia Synodorum iudicia esse oportere, obligandi sint homines, ut iudicato obtemperent sine ulla recusatione, sicut in imperijs necesse est iudicatum facere.

RESPONSIO.

Nimis uerum est dictum Simo-
nidis τὸ ποικίλον βιάζεται τὸν ἀληθεῖα, id
est, opiniones uim afferunt ueritati.

Sæpe enim in uita persuasiones errore conceptæ, impediunt conspectum ueritatis, ut quia multi existimant ueram Ecclesiam esse Politiam similem imperijs, quæ corpora gubernant, tribuunt iudicijs regiam potestatem, cui necesse est obedire non solum propter rationem probabilem, sed etiam propter autoritatem, quam Deus illi fastigio attribuit.

Cum dissiderent inter se duo fratres Regis Darij filij, Artabazanes & Xerxes non de duabus capellis, Sed de imperio totius orbis terrarum florentissimo de regno Persico, Postquam sententia iudicum frater natu minor prælatus est, alterum etsi probabilem causam habuerat, cum anteferendus esset, tamen iam obtemperare iudicato iustum erat.

Sed

Sed multum dissimilis est Ecclesia imperijs. Valent
sententia iudicum non regia aut pratoria autoritate,
sed quia uere congruunt cum doctrina à Deo tradita.
Si non uere congruunt, etiam si in speciem blandiuntur
rationi humanae, anteferenda est Regula, Si quis
aliud Euangelium docet, anathema sit, ut quanquam
Synodus Syrmienfis, in qua magna frequentia fuit
Episcoporum Asiae & Europae, decretum fecit, quod
utile ad sarcendam concordiam uidebatur, ut in Sym-
bolo Niceno legeretur ὁμοίον, non ὁμοῶσιον, tamen
huic tanto consensui aduersari necesse fuit.

Sed obijciunt uiri politici, Quid opus est iudicijs
si postea contradicere licet, nec finiunt controuersias,
nec tollunt discordias?

Ad hanc obiectionem respondeo, iudicijs tamen
opus esse, Quia uera Ecclesia recte sentientes confir-
mat suo testimonio, et monstratis sententiae causis, alios
quos errantes in uiam reuocat, sicut saepe hoc tempore
nostris iudicijs reuocati sunt aliqui ab erroribus Ana-
baptistarum.

Non igitur inutilia sunt iudicia, etiamsi multi
non obtemperant, quos tandem compescet Deus, sicut
compescuit Iudeos refragantes iudicio Apostolorum.

Controuersiae igitur in Ecclesia magna, uix un-
quam tolluntur nisi mirabiliter Deus reprimat hostes
ueritatis.

B ij Nec

Nec quicquam pulchrius est in toto genere humano, quam pia Synodus, quæ placide & uero studio sine cupiditatibus inquirat & patefacit ueritatem, & suo testimonio gloriam Dei ornat.

Talis coetus uere est chorus angelicus canens hunc hymnum, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus letitia.

Itaq; pias Synodos & pia iudicia ueneremur, & quidem diligenter consideremus causas & fontes sententiarum.

Sed discernamus Synodos. Cum impij coetus, qui tenent ordinariam potestatem, decreta faciunt contumeliosa aduersus Deum, qualia recens fecerunt Synodi Tridentina & Bononiensis, aduersari necesse est.

Et si igitur optandum est, ut pia Synodus recte iudicet controuersias, tamen qualecunq; iudicium instituetur, non est abijcienda ueritatis confessio, nec promittat quisquam se obtemperaturum esse iudicato, nisi antea decretum audierit. Nec imago iudiciorum ciuilium & prophanorum ad hæc certamina de gloria Dei transferatur, Sed alio tempore hac de re copiosius differemus.

DECANVS

DECANVS COLLEGII
Philosophici Erasmus Rhein-
holt Salueldensis.

SEPE in Academia dulcissimi uersus amici nostri
Stigelij repetiti sunt,

*Utq; alios alij de Relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos*

Certissimum est enim hanc hominum natu-
ram ideo consociatam & multis mirandis uinculis,
generatione, educatione, rerum communicatione,
imperijs, coniunctam esse, ut alij alios de Deo &
alijs rebus bonis doceant, Et doctrina præcipuum
uite humane lumen est. Itaq; præcipuum opus in ge-
nere humano sustinent, quicumq; doctrinam Ecclesie
necessariam, & linguas & artes, quæ illustrant scri-
pta Prophetica & Apostolica tradunt. Talibus labo-
ribus fauere bonas mentes decet, quos quidem Deo
curæ esse non dubitamus, qui cum non frustra condi-
derit genus humanum, sed semper inde colligat Eccle-
siam, seruat etiam cœtus aliquos docentium & discen-
tium, Et ut seruet, ac regat, toto eum pectore oro.
Hæc de nostri ordinis officio, & de uoluntate Dei
sepe cogitanda sunt, ut literas, Doctores, scholasticas
operas

operas, hos coetus, & ipsa scholarum tecta & hospitalia magis amemus. Ac nunc praesertim opus est accendi & alii amorem doctrinae in animis, cum in his dissipationibus studia literarum minus coluntur. Maximum omnino ornamentum est Ecclesiae, cognitio linguarum & artium, quas Philosophia continet, quae ut non extinguatur, necesse est coetus aliquos esse, in quibus alij alias doctrinarum partes tradant. Hos coetus, quibus possumus officijs foueamus, eaq; in re Deo, Ecclesiae, & uniuersae posteritati seruiamus. Nos igitur etsi mediocres difficultates sustinemus, tamen has uelut excubias, in quas ad docendum collocati sumus, non relinquendas esse duximus. Sedulitatis nostrae testes esse boni omnes possunt. Pertinet autem ad operas scholasticas exploratio eruditionis auditorum, quae fit, cum doctrinae testimonia tribuuntur. Instituant igitur Examen post duas septimanas, Interea ad me accedant, ac apud me nomina edant petitori gradum Magisterij. Etsi autem omnibus temporibus necessaria est placida iudiciorum collatio, tamen hoc tempore eo magis expetenda est, quia remedium est seu μαλακτικόν harum arumnarum, in quibus uersari Ecclesiam & nos ipsos sentimus. Cumq; res ipsa ostendat studijs harum regionum profuisse hanc doctrinae explorationem, & sententiarum collationem, tueamur hunc morem studiosius. Profecto solitudo, in qua iudiciorum collatio esse non potest, & doctrinae tenebras aufert.

adfert, & quasi dissonas uoces parit, etiam cum non
prorsus negliguntur studia literarum. Nec solum de
ceteris artibus, sed etiam de his nostris studijs
præclare dictum esse ab Euripide iudi-
cemus, ἢ ὀμιλῶν ἔτερε TEXVAG.

DECANVS COLLEGII Philosophici.

QVOD faustum & fœlix sit
hodie hora duodecima instituetur Examen
publicum, in quo specimen eruditionis prebebunt ho-
nesti & docti uiri, qui nunc gradum Magisterij Philo-
sophici petunt. Hortamur igitur Collegas nostros
& alios, qui colunt Philosophica studia, ut ad hunc
nostrum congressum amanter accedant, eoq; officio
ostendant se fauere & honori horum, qui gradum pe-
tunt, & ipsis Philosophiæ studijs, præsertim cum nihil
in uita humana dulcius sit talibus colloquijs de doctri-
na, que sunt imago eterne illius Academiæ, in qua
audiemus doctorem filium Dei & cum Angelis, Pro-
phetis, et Apostolis de mirandis Dei operibus suauissi-
me disputabimus. Ipsa etiam frequentia in talibus con-
gressibus iunioribus ostendat ordinis nostri coniunctio-
nem, & sit exemplo ipsis, ad amandam consociatio-

B iij nem &

nem & communem concordiam, quæ Ecclesiæ Dei
præsertim hoc tempore, maxime necessaria est.

ὁ ἁγιστὸς ἀγγέλως

ὁ ἄδελφός

οὕτως ἀσπράττει πρὸς ὅλην

ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν

ὁμοφροσύνῳ νόστis.

Scriptum est in ueteri Poemate, Ac profecto uerum,
nihil pulchrius eruditorum consensu & amicicia, quæ
quidem & speciem Ecclesiæ honestiorem efficit, &
omnibus officijs alenda est. Notissima sunt enim seue-
rissima præcepta, quale hoc est, ὁ θεὸς ἀγάπην ὄσιν, καὶ
ὁ μέγας ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν
αὐτῷ. Quid dici nobis ad consolationem maius po-
test, quam uerum & ardentem in Deo amorem esse
erga nos, ut hic adfirmat, cum inquit, Deus est dilectio.
Deinde quam seuerè additum est præceptum, Qui in
dilectione manet, in Deo manet, id est, qui studia, con-
silia, & labores refert non ad faciendas dissipationes,
sed ad coniungendas uoluntates quam plurimorum &
ad communem consensum & concordiam tuendam.
Id officium & nobis curæ sit in magnis & paruis re-
bus. Nihil enim paruum est, nihil contemne, ut Me-
dici monent. Quare & nunc libenter conueniamus,
et amanter de rebus optimis colloquamur, Imo et inter
differendum uota ad Deum misceamus, ne doctrinæ stia-
dia inter nos extingui sinat. Die Augusti 16.

Anno 1549.

DECANVS COLLEGII
Philosophici in Academia
VVitebergensi.

GRATIAS agimus tibi Deus
Eterne Pater domini nostri Iesu Christi fons sa-
pientie, quod immensa bonitate in his regionibus ser-
uas Ecclesiam, teq; oramus ardentibus uotis, ne tue
doctrinae lucem, & aliarum artium, quae Ecclesiae uti-
les sunt, extingui sinas. Hec uota etiam in publicis
congressibus nostris repetenda sunt, Ideo petimus ut
omnes Doctores, Magistri, & auditores die Augusti
uicesimo conueniant ad renunciationem gradus Ma-
gisterij decernendi his, quorum nomina infra scripta
sunt, & ut testes sint huius renunciationis, & ut si-
mul nobiscum precentur Deum, ut Ecclesias, doctrinae
studia, hospitia Ecclesiarum & disciplinam clementer
in his regionibus, & in hoc oppido tueatur. Pertinent
autem ad Ecclesiam & haec ipsa linguarum & Philo-
sophiae studia, quorum propagatio nostro ordini com-
mendata est, Manifestum est enim sine linguarum co-
gnitione monumenta Prophetica & Apostolica non
posse legi & intelligi. Nec raro fit ut ignari linguarum
in interpretatione perinde aperire dicta Prophetica et
Apostolica conentur, uelut οἱ τὰ ἑνλα κλειδι ὀλι-
ζην, τῆ δὲ ἀξίνη τῆρ δύγαρ ἀνοίγαρ παρὼ μύθοι.

Ac dolendum est tetros errores & contumeliosos aduersus Deum multis iam seculis heisse in Ecclesia, qui à linguarum et phrasis inscitia orti sunt. Deinde multà & magni usus sunt uniuersæ Philosophiæ, cum in hac tota uitæ gubernatione, tum uero etiam in explicatione dogmatum Ecclesiæ. Quare amanda & iuuanda sunt hæc literarum studia, Nec dubitemus nos labores nostros, quos sustinemus in eorum propagatione Deo placere, cui curæ crit, ne sint irriti, Nec frangamur animis propterea, quod aliqui de his studijs maligne sentiunt, sed ueras discendi causas cogitemus, & in doctrinâ custodiendâ fidem & diligentiam Deo, Ecclesiæ, & generi humano debitam prestemus. Laudanda est igitur uoluntas horum, quibus nunc testimonium eruditionis tribuimus, deinde & uere hoc prædicare possumus in hoc numero, Dei beneficio, plebrosq; egregie eruditos esse, quos speramus Ecclesiæ & rei pub. magno usui futuros esse, et ut faciat eos Deus σκενι ἐλέους salutaria ipsis & alijs, toto pectore optamus. Die Augusti 18. Anno, 1549.

EPICEDION IN OBITVM

D. CASPARIS CRVCIGERI, SCRIPTVM

à Petro Lotichio Secundo.

SVMme Pater, sobolesq; patris, quiq; halitus afflas
Omnia, qui firmans nos, ab utroq; uenis.

Te præ

Te precor, o rerum Deus in tribus arbiter unus,

An modus assiduis fletibus ullus erit ?

Parce, nec omnino dele tua iussa colentes,

Lenis ades populo, saeuus in hoste, tuo.

Iamq; fatigatis luctu, serieq; malorum

Si precibus castis flocteris, adfer opem.

Naufragij serua tabulas, & fragmina nostri.

Et lacris aliqua da statione frui.

Nam quibus, hei uario discrimine fluctibus acti,

Marte fero patriam depopulante, sumus ?

Squallet adhuc tellus bello uastata cruento.

Et late gelido rura sub axe uacant.

Nec satis infandos (dolor heu meminisse) labores.

Nec fuit, exilij damna tulisse, satis.

Tunc quoq; lethiferis piger aestibus aer abundans,

Intulit hac populis in regione luem.

Fortibus & magnas exhaustit ciuibus urbes,

Parcaq; , relliquias hostis, auara tulit.

Ingenuis etiam Musarum dotibus aucti,

Ante suum multi sic cecidere diem.

Iamq; tot amisissis prius, o dulcissime Caspar

Te quoq; mors auida sustulit atra manu.

Parce Deus, quid adhuc non obliuisceris irae ?

Parce, nimis longi causa doloris adest.

Occidit hei nostri qui gloria temporis ingens,

Multorumq; suis dotibus instar erat.

Occidit infelix, nec funus acerbius isto,

Dignior aut clades fletibus ulla fuit.

Nam quid ego summas tot in uno pectore dotes,
Facta quid æterna laude uehenda, canam?
Que mea si uellet digno comprehendere uersu,
Debilitaturum Musa subiret onus.
Nil illi facilis natura negauerat uni,
Et dederat largas, more parentis, opes.
Feruidus hinc animi uigor, & quæ liquit inausum,
Diuitis ingenij uis operosa, nihil.
Iamq; breui spacio linguam cognorat utranq;
Cum libuit, culte doctus utraq; loqui:
Addiderat solymæ iam dulcia munera lingue,
Nec minus his iudex de tribus acer erat?
Altera tum, rerum uarias ediscere causas,
Et quæcunq; latent abdita, cura fuit.
Quattuor ut primum genitalia corpora gignant,
Terrarum quicquid maximus orbis habet.
Vnde simul mortale genus, uolueresq; feræq;
Quicquid & oceanus foetaq; terra creat.
Quid faciat tanto spirantes murmure uentos,
Frigida quid Boreæ flabra, quid uia Notiæ
Ut liquidus magni telo Iouis insonet ather,
Cum uenit eliso nubibus igne fragor.
Grando quid, unde niues, matutinæq; pruinæ,
Et gelidam pulsans frigidus imber humum.
Sydere quo refuge uaga Tethyos æstuet unda,
Vnde patens salis æquor abundet aquis.
Omina cur diro mortalibus igne Cometæ
Sive ferant morbos, seu fera bella, micentæ.

Vtq; bibat pluuia, clarus splendore colorum
Sole repercussis nubibus, arcus aquas.
Quinetiam docti monumenta diserta Galeni
Nouerat, & Coi scripta uetusta senis.
Præsentesq; malis herbas, ad opemq; potentes.
Letaq; purpurei germina ueris opes.
Corporis & uires reparat qui succus, & ægros
Gramina quæ medicis usibus apta iuuent.
Cumq; potestates radicum nosset, & herbas.
Optima quas matrum gignere terra solet.
Sustulit à terris ad cœli sydera uultus,
Vnde suos motus inferiora trahunt.
Pulchraq; cognouit melioris lumina mundi,
Vt peragant uarias, non sine lege, uices.
Quodq; micet spacio terre propiore, quod astrum
Extet, & à solida longius absit humo.
Qui modus annorum, cur partes quattuor anni,
Solis in obliquum cur uia secta latus.
Vt breuior, Phœbo septem propiore Trioni,
Roriferæ noctis porrigat umbra diem.
Abditus ut lateat densa caligine Titan,
Inuida fraternis tum soror obstat equis.
Vtq; petens Solem decreseat, ut augeat orbem,
Luna citis fratrem quando relinquit equis.
Illius ut picea nitor obscuretur ab umbra,
Cum facit opposito limite Phœbus iter.
Et quæ felices spargant mortalibus ignes,
Sydera, nascenti commoda, quoq; loco.
Quid Canis, aut Hyades moueant, quid aquosus Orion,
Hædus & occidua gurgite lotus aquæ.

Nec requies animi tantum, dulcisq; uoluptas,
Conscia fatorum sydera nosse, fuit.
Sed magis autorem cognoscere iuuat, & ingens
Esse Deum, mundi qui regat huius opus.
Temperet & stellas, metisq; coerceat aptis,
Et curam, ne quid longius erret, agat.
Ergo creatorem propius, rerumq; parentem
Cernere, non dubij pectoris ardor erat,
Doctrinaq; pio cœlestis amore calebat,
(Ah quantum est uero posse placere Deo)
Nec mora, fatidici quicquid cecinere Prophetæ,
Deq; fide scripti nouerat omne genus.
Impia cum subito deliramenta perosus
Synceræ iuuat Relligionis opus.
Et cupidas uerbo pauit, Christiç; redemptas
Morte, piè sancto munere functus, oues.
Nec minus & duro spaciost tempore belli,
Mansit in officio peruiçil usq; suo.
Cumq; recessissent hac dulces urbe camenæ,
Doctaq; Picrias turba secuta Deas:
Lenijt ille graues, adhibens solatia, curas,
Et precibus, dixit, flectitur ira Dei.
Talis quinetiam blandis facundia dictis,
Qualis Nestorei gratia mellis, erat.
Quid loquar ut ueterum uertenti oracula uatum,
Auxilium tulerit magne Luthere tibi?
Vt Solymi censor sermonis, acumine præstans,
Iudicij fuerit dexteritate sui?
Tunc etiam cum te mors importuna tulisset,
Edidit absterfo scripta relicta situ.

Vtq; secuturi legerent uulgata nepotes,
Sustinuit longi grande laboris onus.
Adde pios mores, & turpi labe carentes,
Et stabilem pulchra cum grauitate fidem.
Quid tamen ista iuuant? quid nunc opulencia lingua,
Cognitus aut medica profuit usus opis?
Iuraq; natura, coeliq; uolubilis orbes,
Astraq; syderei cuncta notasse poli?
Num minus in gelido consumptus morte sepulchro,
Nunc anima dulcis corpus inane iacet?
Num minus (o parca) melioribus occidit annis,
Vix numerans uita lustra peracta nouem?
At decus aeternum (manes gaudete sepulti)
Ingenij dotes quod peperere, manet.
Scriptaq; posteritas, non Gasparis immemor unquam,
Edita de sancta Religione leget.
Corpus & in cineres cum longa redegerit aetas,
Viuet, & aetatis fama sequentis erit.
Leta pie capiens nunc debita munera uitae,
Quas habitat sedes turba beata, colit.
Raptus & è tanto miserarum turbine rerum
Parte sui fruitur nunc meliore Deo.
Hunc anima solum quia deficiente rogabat,
Hoc sibi dicebat dulce iubente mori.
Et sua tranquillo iam gaudia corde fouebat,
Et uacuo curis pectore, letus erat.
Saepe relinquendas natas audire iuuabat,
Numen adorantes Christe benigne tuum.
Saepe genae lachrymis etiam maduere paterna,
Et pius in sobolem flere coegit amor.

Nec minus et, quamuis defectus uiribus æget,
In solitum placida mente uacabat opus.
Rimariq; situm cœli, radiosq; solebat,
Syderaq; exactis irrequieta notis.
Cumq; tuum manibus Ptolomæe uolumen haberet,
Scrutatus sedes quas aditurus erat.
Astitit, & Lachesis calles foris omnia, dixit,
Interior cœli nunc patet aula tibi.
Dixit, & eripuit terris, superaq; locauit,
Exoluens animam corpore iussa, domo.
Sydera nunc illic fulgentis semper Olympi,
Cunctaq; cognoscit quæ latuere prius,
Progeniemq; Dei, maiestatemq; uerendam,
Asspicit, & sanctos inter adorat auos.
Corporis ò foelix ista compage soluta,
O anima ætherei sede recepta poli.
Iam requies tibi parata, Vale dulcissime Gaspar,
Et tua pacatis sedibus ossa cubent.
Nos lachymæ gemitusq; manent, miserere tuorum
O Deus, & miseris dulce leuamen ades.
En tua poscit opem dubijs Ecclesia rebus,
Et sine te nullum qui tueatur, habet.
En oppressa malis, orbataq; præside tali
Florat, & hei misera quid mihi fiet? ait.
Da patrij tandem genitor mitissime cœli
Omnibus exhaustam casibus, arce frui.

FINIS.

31 02438 1 031

QVES
LIBEL
S
DEVITA
ET